



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Gvillelmi Postelli De Repvblica**

**Postel, Guillaume**

**Lvgdvni Batavorvm, 1635**

Ad lectores præfatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65533)

IN LIBRUM  
De  
MAGISTRATIBUS  
ATHENIENSIVM

PRÆFATIO.

**P**RÆCIPVA antiquo-  
rum omnium quicun-  
que de rebus humanis  
præclare aliquid com-  
mentari aut tractare voluerunt,  
sententia consuetudoque fuit, ut  
antiquitatem ob oculos sibi tan-  
quam exemplar proponerent: me-  
rito sane rati ea ratione maiorem  
diuturnitatem suis adferre operi-  
bus. Constat enim nimis crebro  
experimento, sine magna illa cum  
hominum tum rerum publicarum  
disciplina, institutione & exem-  
plo, ita infeliciter versatos fuisse  
in suis tractationibus, qui anti-  
quitatis contempserunt placita, ut  
qui

qui in tenebris ea conati sunt ope-  
 ra exequi, quae lucis potissimum  
 adminiculo absolvuntur. Vnde  
 egregii rerum humanarum au-  
 ctiores & instauratores, ut secula  
 semper proficere ostenderent, ea  
 quae paucis & simplicissime dicta,  
 scripta, factave à maioribus  
 erant, voluerunt aut laudando  
 probandoque extolere, aut adden-  
 do amplificare, aut quadam ad-  
 iuncta diligentia magis illustrare  
 & absolvere. Quum enim una  
 origine olim producti, aut ab illu-  
 sionum conflagrationumve peri-  
 culo servati homines essent: neces-  
 se fuit post iustum in primum ha-  
 bitatis locis acceptum incremen-  
 tum, eamque hominum multitu-  
 dinem illic natam, cui regio illa  
 nataleque solum alenda impar es-  
 set: illam inquam multitudinem  
 in varias traduci colonias: idque  
 diu post suae originis tempora. Sic  
 vero dispersos homines sensim ita  
 adole-

P R A E F A T I O. 15

adolevisse, ut congressu mutuo, &  
 astutia (qua ab asty, i. civitate  
 dicta est) cultioris vita usum  
 paulatim reciperent, credi par est:  
 quum iam scilicet illorum vix  
 nomine fama ve noti maiores, con-  
 versationis assiduitate vitam in-  
 duerant docuerantque humanio-  
 rem. Conversationem enim &  
 crebrum hominum concursum,  
 omne vel ferocissimum hominum  
 genus reddere mansuetius, nemo  
 facile negaverit, cui recta adsit  
 ratio. Nam quis dubitet quin  
 eadem ratione loquela, artes, ipsa-  
 que comparatu difficillima vir-  
 tus, demum rerum omnium veri-  
 similitudo (quum verum ipsum  
 in occulto mortalibus lateat) sum-  
 ma indagine sensim inter morta-  
 les adoleverit, eo modo quo perpe-  
 tuo sibi constantis natura opera  
 solent lentius consurgere? Porro  
 ubi aliquid incrementi in quo-  
 dam solo acceperit, iam illam  
 trans-

transplantari contingit, atque ita ad exteros, vel commercio tantum familiares, rerum assiduo usu ab his passim ad alios transeunte, migrare certum est. Quis enim non credat opus fuisse ad leges condendas, & virtutem ob oculos revera ponendam longissimo tempore, quum illam ipsam vitii loco haberi apud multos certum sit, ut contra vitium illius loco substitui, etiam passim vulgare? quum praecipue videat insolitorum facinororum authores, artium instrumentorumque inventores passim celebrari, & mortalium numero eximi, quod scilicet in vita vel artis appendicem reperissent. Inde deorum & falsa persuasionis orta colluvies. Maxime itaque patet secula semper proficere ( nisi vis providentia nobis contra humanum iudicium utilissima, bello, fame, peste, aut insolita ruina antiquitatem totam literis & hominum

minum

P R A E F A T I O. 17

minum memoria commendatanz  
deleat, & superstites principia  
quodam humilia agere doceat)  
inque dies humana cognitioni  
quicquam addi. Quibus rationi-  
bus adductus Plato, emendanda-  
rum legum summum remedium  
scriptum reliquit, si videlicet om-  
nibus seculis (quibus vel prastan-  
tissimas mortalium corrumpi, ho-  
minumque fraude & versutia  
inverti certum est) omnium aut  
saltem prastantissimarum rerum  
publicarum leges moresque in u-  
num conferrentur, ac una virtu-  
te duce & arbitra per prudentes  
viros ex singulis sumeretur quod  
ad mutuam omnium emendatio-  
nem faceret, unumq; corpus mor-  
bo vacans componeretur: id eni  
sententia iudicans, quod proban-  
dum susceperam. Res enim eo ma-  
gis est vegeta, quo altius egit ra-  
dices. Ut igitur illa imitatione  
etiam ego aliqua in re prodesse

B

Reipubl.

## 18 P R A E F A T I O.

Reipubl. coner, volui è priscorum  
 monumentis erutam præstantis-  
 simam rerumpublicarum imagi-  
 nem Atheniensium politiam in  
 manus hominum dare: cuius etsi  
 exacta comparatio cum nostrâ  
 propter diversam monarchia &  
 democratia administrationem fie-  
 ri non poterit, spero tamen futu-  
 rum ut hinc aliquod remedium  
 ad eius emendationem desumere  
 possit. Atque non tantum leges  
 Atheniensium à Romanis expeti-  
 tas fuisse me ostensurum spero, sed  
 & divisionis populi, & magistra-  
 tuum exempla inde sumpta claris-  
 simis argumentis me demonstra-  
 turum confido. Quia vero exem-  
 plis res humana ut sentit Plato,  
 aut conservantur, aut instauran-  
 tur: non tantum comparatione re-  
 rum nostrarum sum usus, verum  
 Romanæ, quandoque Venetæ, non  
 raro Turcicæ, quas ipsis in locis di-  
 ligentissime perspectas habui, com-  
 para-

P R A E F A T I O. 19

parationes adducere visum est: alioquin Turcicam diligenter lingua Gallica conscriptam, Francisco Valesio Galliarum regi praestantissimo, & Margareta illius sorori dicavi duobus libris: in quorum primo qua ad religionis persuasionem & ceremonias attinent, adque iurisdictionem: in secundo, de magistratibus & regio censu ad minima usque tractavi. Romanam & Venetam non pauci scriptam reliquere. Hac nostra si minus absolute tractata prodierit, nemo & quus alieni laboris aestimator mirabitur, quum ire per exitum huiusmodi funem primus tentaverim, remque deperditam pene ab inferis revocaverim. Ad ductus porro sum in hanc translationem, librorum quos de ea inter ceteras respublicas scripserat Aristoteles, desyderio, quum nil eius operis prater crebras apud varios authores citationes exta-



re iam ante mille annos compe-  
ri. Vnde non ex ipso authore,  
præter pauca, sed ex Demosthe-  
ne, Æschine, Isocrate, Libanio,  
Vlpiano Demosthenis interprete,  
Polybio, Plutarcho, Harpocratio-  
ne, & eius notæ authoribus  
visum est Latinis potius male  
latine tradere, quam tanta mea  
diligentia fraudare cui sum na-  
tus rempublicam unica minus  
tersa dictionis compositæve ora-  
tionis opinione. Per me igitur  
præstantissimam reipublicæ spe-  
ciem, operis præstantissimi in-  
staurationem, accipient litera-  
rum Græcarum candidati, qui-  
bus ista scribimus: ex qua non  
parvam lucem accessuram eius  
linguæ difficultati spero. Nullum  
enim antiquitatis monumentum  
potest exacte cognoscere, qui reip.  
administrationis partes non co-  
gnoverit. Sed de populo dicere ag-  
gredior.

G V I L-